

MODOGISILVS REX VANDALORVM.



**M**odogisilus magna prudentia & fortitudine apud Vandalos insignis fuit. Itaque cum eius tempore, Anno Christi 385 terrarum orbis bellorum tumultu periclitaretur, Vandalii hunc Modogisilum sibi regem elegerunt, atque antiquis suis sedibus relictis, alienas terras inuadere coeperunt. Vnde Modogisilus regnum suscipiens, Vandalos magna laude per triginta annos gubernauit, atque egregiam nominis existimationem apud Germanos obtinuit. Huic postea Gunderichus successit, qui primus externorum regum Hispaniam occupauit. Ioan. Funck. in Chron.